



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

15. Cum nos, &c. Suppressio Confraternitatis Sanctissimi Rosari Civitatis
Cæsernaten. & applicatio ejus mobilium, ac ornamentorum sacrorum, unà
cum Oratorio, Ecclesiæ Conventus Ordinis Prædicatorum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

1725.

tempore incepta visitationis in Civitate Privernen, non refederit; decernentes etiam quoad posteriore voluntatem nostram hujusmodi ex nunc irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ avocationis, extinctionis, reintegrationis, erectionis, Indulti, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumperit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto, quarto Idus Septembris Pontificatus nostri Anno secundo.

4. Id. Sept.

1725.

Taxa CL. residuum gratis de mandato Sanctissimi. P. Cardinalis Prodatarius. F. M. de Carconiis. I. Vathour. V. Pro R. P. D. Sinibaldo. I. C. Pelucchi Sublitorus. N. Lefen. Registrata in Camera Apostolica. Dominicus Antonius Galofus Secretarius.

XV.

Suppressio Confraternitatis Sanctissimi Rosarii Civitatis Casenaten. & applicatio ejus mobilium, ac ornamentorum sacrorum, unâ cum Oratorio, Ecclesiæ Conventus Ordinis Prædicatorum ejusdem Civitatis.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum Nos nuper inter alia Confraternitatis Sanctissimi Rosarii Civitatis nostræ Casenaten. omnes annuos fructus, redditus, & proventus cujuscumque quantitates, speciei, & valoris existerent, Seminario Ecclesiastico ejusdem Civitatis sub certis modo, & forma tunc expressis applicaverimus, & assignaverimus, prout in nostris desuper in simili forma Brevis die xxx. mensis Maii proximè præteriti expeditis Litteris, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Nunc autem Nos rationabilibus causis Nobis notis adducti, Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, dictam Confraternitatem Sanctissimi Rosarii in Ecclesiâ Conventus Ordinis Fratrum Prædicatorum dictæ Civitatis canonicè, ut asserit, erectam, necnon quamcumque præminentiam, & jus, quæ Confratribus memoratæ Confraternitatis in ejusmodi Ecclesiâ quomodolibet competere poterint, unâ cum titulo, essentia, & denominatione tenore præsentium perpetuè extinguimus, suppressimus, & abolemus. Ac universa præfatæ Confraternitatis, mobilia, & ornamenta sacra Ecclesiæ, & Capellæ Sanctissimi Rosarii hujusmodi, unâ cum Oratorio, quod est de directo dominio prædicti Conventus, & cui annuus canon in concessione fundi jamdudum à Fratribus prædicti Conventus facta cum pactis expressis in illa appositis reservatus fuit, harum serie perpetuè applicamus, & incorporamus. Decernentes, easdem præsentis Litteras, etiam ex eo, quod præfatæ Confraternitatis Officiales, & Confratres, & ceteri quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque cause, propter quas præsentis emanarunt, adductæ, verificate, aut justificatæ ullatenus fuerint, ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vicio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sive etiam ex eo quod in eisdem præmissis, solemnitate, & quavis aliâ servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite à jure vel factò, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultant, etiam in corpore juris clauso, sive etiam enormis, enormissima, & totalis læsionis, & quovis alio

prætextu, occasione, vel causa, etiam quantumvis iusta, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, notari, & impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, vel ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperiitionis oris, vel aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concessio, aut impetrato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas præsentis Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & quomolibet spectabit in futurum, plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosque quolibet quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabili Fratri Moderno, & pro tempore existenti, Episcopo Casenateni per præsentis Motu pari committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios præsentis Litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, solemniter publicans, dictisque Fratribus in eisdem præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate nostra Fratres Conventus præfati præsentium Litterarum, & in eis contentorum hujusmodi, commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittens illos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari, Contradictores quoslibet, & Rebelles per sententias, censuras, & penas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimè super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, & penas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus præmissis, & quatenus opus sit, de jure quæsito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus, seu applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, & aliis nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, necnon Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à jure permissis prohiben., aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis, editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac omnibus, & singulis illis, quæ in prædictis Litteris volumus non obtinere, necnon prædictæ Confraternitatis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâ in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse denegamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xv. Septembris MDCCXXV. Pontificatus nostri Anno secundo. F. Card. Olivarius.

1725.

15. Sept.

1725.

Pro Annona urbana, & re agraria bene gerenda.
BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Ad summum Pontificem, ut communem omnium pastorem, atque parentem, non solum

XVI.

Ad summum Pon-